



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Christiana Et Docta Divi Alchimi Aviti Viennensis  
Archiepiscopi, & Claudij Marij Victoris Oratoris  
Massilie[n]sis, poëmata, aliaq[ue] non poenitenda**

**Avitus, Alcimus Ecdicius  
Marius Victor, Claudius**

**Lvgdvni, 1536**

Capvt II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12149**

Fasq; nefasq; inter recti custodia nunquam,  
 Non iudex, non testis erat, non deniq; rector,  
 Arbiter aut morum, vel qui suaderet honestū:  
 Sed princeps sibi quisq; fuit, virtute nocendi.  
 Nec meritis sed mole potens qui fortior esset,  
 Hic melior sibimet sese censore placebat.  
 Brutorū quām hominū vitā magis esse putares,  
 Nā diuinum in se nō intellexit honorem  
 Mens humana sitū; brutoq; simillima facta est.  
 Sanguis potus erat, cęforum viscera passim  
 Indomit is laceras prebebant mentibus escas.  
 Insuper & quadrupes, si cuiquā humanius esset  
 Ingeniū, medijs vel mortua belua campis  
 Pastus erat: tum nulla fides, lex nulla vigebat.  
 Quām vero pecorum rītu permissa voluntas  
 Et diffusa palam ruptis lasciuia, frenis  
 Luxuriæq; forum, atq; obſcœni nundina mundi  
 Ferueret, castis fas non est dicere musis.

## CAPVT II.

**T** Alibus ac tatis hominū gēs improba gestis  
 Sylvestres animos naturæ födererupto,  
 Induerat: pulsacq; procul ratione furebat,  
 Desertaç; Dei cœlestis imagine, prorsum  
 e § Omne

Omne decus mentis turpi deiecerat actu.

*Similitudo  
pulchra.*

Haud secus ac pulchri quum fertilis area campi  
 Quam succisa dedit purgato robore sylua,  
 Tempore dum colitur iusto, et mordacibus illis  
 Subiicitur rastris, respondet frugibus, ac se  
 Seruat composito ruralis gratia vultu.  
 Contra autem exercere solum si negligit, aut si  
 Agricola oblitus sua brachia forte remisit,  
 Laxauitque manus, fessaque quievit aratro:  
 Pigrescit primu durato cespite tellus:  
 Mox rudibus ramis atque aspera palmite crebro  
 Disciplinatos dissuescit promere fructus:  
 Et frutices mittit, syluamque minatur inanem:  
 Quam si nec sera succisor falce repurget,  
 Non iam virgultis, sed denso stipite lucus  
 Texitur, & steriles diffundit in aera frondes;  
 Donec conclusa ramis currentibus umbra,  
 Mox importunae depulso sole tenebræ  
 Ad secura feras inuitent ludere lustra.  
 Taliter humani generis non ordine recto  
 Perdita mandatae iam post primordia legis,  
 In prauum labens paulatim vita tetendit.  
 Proficiens peiore via, constantior ipso

Iam

Iam paribus studijs nutriti criminis vsu.  
Et tamen auctorem vicij culpæq; magistrum  
Doctior erratis, lapsuq; peritior omni  
Succiduæ prolis crescens audacia vicit.

## C A' P V T III.

**V**T fluuius primum parua diffusus ab vrna  
Perspicuum leto promit qui gurgite fonte,  
Tramite quæ summo facilí transmittere saltu  
Quisq; potest, mox irriguo deductus ab ortu  
Viribus augetur subitis, ripasq; retrosum  
Pellens, crescentes pellit per plana liquores,  
Occupat & spacium, pereuntiç; imminet aruo:  
Tunc circunfusos vicinis vallibus amnes  
Sorbet præteriens, externasq; incipit vndas  
Augmento finite suo, mixtasq; sub uno,  
Nomine, corrosis diffuso gurgite terris  
Cum trabibus flabuliscq; boum, lustrisq; ferarum  
Sæuior accessu longocq; furore potitus  
Tandem desistens pelagi transportat in vndas.  
Sic eius motus similisq; ad turbinis instar  
Humanum vicijs ibat genus: & tamen ipsa  
Longius insanas mentes dissoluerat ætas,  
Centenos nouies crebro quum diceret annos

Vita